

dimentis, significant multitudinem filiorum. Et si ibi fuerint mali, & dominus quintæ cadens ab angulis, prædic paucitatem filiorum, uel eorum celerem mortem, maxime si ceciderint ab angulo terræ uel septimæ.

Planetæ dantes filios si fuerint in Virgine, uel Leone, cum infortunantibus, filium quidem natus habebit, sed mox morietur, intellige si infortunæ fuerint eleuatæ super planetas dantes filios.

Iupiter dat filios, sed retrogradus, uel peregrinus non pie, nec humaniter tractat.

Non dubitabis de filijs, si in quinta fuerit fortuna.

Maius impedimentum quod possit esse in dandis filijs est, cum significator quintæ fuerit retrogradus, uel combustus, quod peius est, pessimum quidem, si est in fortuna.

Planetæ significatores in signis sterilibus, Leone, Tauro, Capricorno, Libra, uel Aquario, non dant filios.

Iudica de multitudine filiorum ex Ioue, & Venere, si Iupiter, uel Mars fuerit Almuten, & aspexerit Venerem. Sed in paucitate, ex Saturno, & Marte, De mediocritate, ex Sole, & Luna iudicabis.

Saturnus cum parte filiorum in uno signo, negat filios.

Pars filiorum, & Iupiter, in signis sterilibus, negant filios.

Sol in domo filiorum, negat filios.

Sol aspiciens partem legis, negat filios.

Pars filiorum in octaua, negat filios, aut si habebit filios, morientur.

Iupiter in septima, si Mars & Mercurius iuncti fuerint in prima, filios denegabunt.

Mercurius si in aliquo cardine, Saturnum ex diametro uiderit, filios denegabit.

Venere à Saturno damnata, aspice partem filiorum, quæ si non sit angularis, nec Iupiter nec Venus eam aspexerit, significat paucitatem filiorum, & forte sterilitatem, maxime si Luna fuerit impedita.

Si Iupiter Venus, & Mercurius, impediti fuerint à malis, uel in detrimentis suis, aut descensionibus, uel sub radijs, natus non habebit filios, & si casu aliquem habuerit, morietur cito.

Luminaria impedita à malis, tam substantiæ, quàm filiorum paucitatem indicant.

Venus in prima, aut septima Saturno coniuncta, uel illi opposita, uel si Saturnus fuerit cum Venere in altero duorum locorum, uel ipsum aspexerit, ut si Mars Venerem aspexerit uel illi oppositus sit, indicat filios non habiturum. Et in natali foeminae indicat abortus, aut quòd is qui natus fuerit ilico morietur.

Sol, & infortunæ, in masculinis, & in locis filiorum, omnino sterilitatem decernunt, quanquam fortunæ super eos eleuentur, nisi cum Sol fuerit cum aliqua fortuna. Signa masculina, significant nato paucos filios, foeminina uero plures, & ideo oportet planetas abnegantes filios esse in signis masculinis.

Si Luna, uel Sol, in Scorpione, in quarta, & Saturnus fuerit cum aliquo eorum, natus nunquam habebit filios.

Luna in oriente, uel Libra, si in ascendente fuerit, & Iupiter, & Mars, in septima coniuncti, uel in medio coeli, Venus uero in domo Saturni, eundem partium numerum possidens, & Mars, & Venus, Iouem aspiciat, steriles, uel religioni deditos ostendunt.

Duodecimæ locus ædituræ sobolem à prudentibus constituitur, Nam si ipse, & eius dominus bene dispositi fuerint, mater nati agilitatem partus inueniet. Sin male, mater talis nati in ipso partu periclitabitur.

Luna in finibus Mercurij, in signo masculino, præsertim in Aquario, nisi Veni, aut Ioui iungatur ex trino, filios abnegat, aliter uero econtra.